



SUPPLEMENTVM NONAE PARTIS INDIAE

Orientalis,

Hoc est,

CONTINUATIO PRIORIS

ITINERIS SIVE NAVIGATIONIS, AB HOLLANDIS & SELANDIS, SUB ADMIRALE PETRO-GUILHELMO VERHUFFIO, IN INDIAM ORIENTALEM SUSCEPTAE.



Varatione Hollandi Castellum ad Neronem Insulam cum magna non solum Admiralis sui, sed & militaris senatus, & multorum militum, quos Aethiopes misericordiarunt, iactura, extruxerint, sub finem prioris partis dictum est. Quandoquidem igitur ibi simul etiam promiserimus continuationem & supplementum navigationis istius, quid nempe Hollandis porro acciderit, & quomodo in Hollandiam iterum reuersi sint, in lucem itidem emittere, sciat iam lector, Hollandos 15. Iulij Anno supra millesimum sexcentessimum nono, cum duabus scaphis ad urbem Aethiopum Labetaccam paulo antequam lucefceret, aduectos esse, ut eam praeter incolarum expectationem oppressam, summa celeritate expugnarent & occuparent. Verum cum ad urbem istam venissent, incolas omnes in armis inuenerunt, ab omnibus enim ciuitatis partibus ad partem littori obiectam confluxerant, iamque tormentis suis fulminare, & copioso lapidum iactu repugnare acerrime videbantur, cum duae Hollandorum cohortes, scapha altera ad latus deflectentes, & post montem perpetuo ardentem transeuntes, excensionem fecerunt, urbem ab altera parte aggressuri, ad quam cum sine vlla relictatione, incolis ad ripam digressis, peruenissent, ruinosam ibi magno satis hiatu patere moenia deprehenderunt. Quare irruentes statim a tergo incolas praeter expectationem oppresserunt, qui tantum non exanimati metu, fugam statim arripientes, in pedes sese coniecerunt. At Hollandi in obuios quosque saeuientes, portam ciuitatis qua ripam spectat aperuerunt, sociosque qui in scapha altera adhuc erant, in urbem intromiserunt, quo facto strages maxima edita est, omnibus cuiuscunque sexus & aetatis essent trucidatis. Direpta postmodum vrbs est & non deformata solum incendio, sed in cineres plane redacta. Hollandis post consecutam victoriam cum multa praeda ad Castellum suum reuersis.

Anno 1609. Labetacca ab Hollandis occupata.

Die 22. Iulij relatum ad eos fuit, haerere ab altera Bandae Insulae parte, cum quadraginta Carcollis siue nauigiis, magnam Aethiopum copiam, ut Hollandos ex improviso obruerent, itaque visum Gubernatori & senatui militari est operae precium facturos, si recta eo adiecti, nihil tale cogitantes eos obruerent.

Hollandi quidam nuntium accipiunt de congregatis aliquot Aethiopibus.

A 2, Sequen-

